



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

IV. De illicitis & incestis coniunctionibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

turata morte credendæ sunt peremisse, non debent filii vltius possidere. Iniquum esse censemus, vt potius custodes chartarum, per quas aliquid ecclesiis a fidelibus personis legitur derelictum, quam defensores rerum creditarum, vt præceptum est, iudicemur.

II.

Et quia episcoporum res propriæ ecclesiarum res esse noscuntur, si in eorum facultatibus simili fuerit crudelitate grassatum, peruafores rerum memoratarum Canonum districtione feriet vindicta, dum corrigit; vt qui non moribus propriis, ac nulla conscientia castigatione corripitur, saltem regulæ obtundatur aculeis. Perpetuo enim anathemate feriat, qui res ecclesiæ confiscare, aut competere, aut peruadere periculosa infestatione præsumperit.

III.

Et quia exempla boni operis a pontificibus debent primum, Christo opitulante, procedere, nullus episcopus res competat alienas: aut si competitas, aut a se, aut ab auctore suo, forte quis possidet, domino proprietatis possessionem propriam, absque præiudicio liberalitatis regiæ, integra reformatione restituat: vt quia Deus dona reprobatur iniquorum, non ad iudicium suum ecclesiæ res exterarum derelinquat.

IV.

Conuenit etiam vniuersis fratribus, vt non solum præsentium rerum actus, sed & animarum quoque debeant præparare remedia. <sup>d</sup> Nullus er-

go illicita coniugia contra præceptum Domini fortiri præsumat: id est, fratris relictam, nec noueram suam, relictamque patruī, vel sororem vxoris suæ sibi audeat sociare: neque auunculi quoque relictæ, neque nurus suæ, vel materteræ coniugio potiatur. Pari etiam conditione a coniugio amitæ, priuignæ, ac filiæ priuignæ coniunctionibus præcipimus abstineri.

ANNO  
CHRISTI  
537.

## V.

Sacratarum etiam virginum neque per raptum, neque per competitiones aliquas quisquam coniugia fortiatur. Similiter de earum erit coniunctionibus abstinendum, (& hi qui eas rapere aut competere voluerint, a communione sunt remouendi) quæ vestium commutatione tam viduæ, quam puellæ, religionem, pœnitentiam, aut virginitatem publica fuerint declaratione professæ. Quod si contra interdicta quis venerit, & sacerdotem suum audire neglexerit, & in præsentī a communione catholicæ ecclesiæ habeatur extraneus, & in perpetuum anathemate feriatur.

## VI.

Et quia vtilium rerum cœpit causa tractari, hoc vniuersitas præcauere quoque debet, tam sacerdotes quam principes, omnisque populus, vt nullus res alienas competere a regis audeat potestate. Nullus viduam, neque filiam alterius, extra voluntatem parentum, aut rapere præsumat, aut regis beneficio æstimet postulandam. Quod si fecerit, similiter ab ecclesiæ communione semotus, anathematis damnatione plectatur.

36. qu. 1.  
Nullus ne-  
que viduã.